

Ripoll 1: Columns Raised by Three Schoolboys

1. DE CONSTANTINO IMPERATORE. - Maria virgo gloriosa genitrix [f. 27^v] Christi, ante partum, et in partum, et post partum, semper virgo manet, et angelicis choris psallentibus in celis transvecta est, cuius baselica ab imperatore Constantino in urbe Constantinopolim admirabili opere fabricata nitet. Ad quam adducte due columpne marmoree cum pre magnitudine levari non possent, eo quod esset latus earum decem pedum et longitudo triginta, ac diebus singulis casso labore fatigarentur, machine qualiter suspenderentur troclea, atque funium extenderint officinia, in visione astitid Constantino imperatori gloriosa Genitrix dei, promitens: Quia pro reverencia nominis mei hoc opus conarisi perficere, in hac fatigacione, servato eterno premio, diu non parciar te tuosque consistere. | Ut igitur hoc cum suma velocitate quearis perficere, con-[f. 28^r]-iunge tecum tres pueros de scolis, adiutorio quorum hoc possis explere. Cum ergo ille nobilis imperator evigilans, que precepta fuerant coartasset, vocatis a scolis tribus pueris, erexit cum magna velocitate columpnas, populo de tanto ac tali miraculo admirante. In hoc miraculo patet, quia Virgo casta ad operis sui officium castos et puros diligit, ut ad regna celorum eos perducat. Quod ipse prestare dignetur Ihesus Christus dominus noster filius Virginis, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat.

Reference: Cebrià Baraut, 1956. 'Un recull de miracles de Santa Maria, procedent de Ripoll i les *Cantigues d'Alfons el Savi*', *Maria-Ecclesia, Regina et Mirabilis, Scripta et Documenta*, 6 (Montserrat: Abadia de Montserrat), p. 138.